Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Straßburger Formularbuch - Cod. St. Blasien 98

[Straßburg], [um 1450-1470]

Elisabeth, dessen Gemahlin

urn:nbn:de:bsz:31-53538

Visual Library

Serenissime principi domine Elizabeth dei gracia Regine francorum Sorori nostre percarissime Sigismundus
eadem gracia etc. Salutem in salutis actore et pacis amatore. Serenissima princeps Soror nostra
percarissima. Novit ille qui nil ignorat, quod ex fervore intrinsece caritatis quam
ad Serenissimum principem Karolum Regem francorum vestramque celsitudinem vestram plures
vicibus inclitas et Regnum francorum iugiter gessimus. Ad instar progenitorum nostrorum fidei
puritate sicut ex gestorum magnificorum memoria credidimus obtinentes fraternis desi
deriis semper optavimus ut Regie et Reginalis magnitudinis status inclitarum quam
plurimum et domus predicte prosperitas felicius exaltetur et Regnum francie maneat semper
optata felicitate tranquillum. Et ideo sic efficaci instinctu sollicitudinis fraterne que sibi
vestreque celsitudini pluribus domui et Regno predictis grata et utilia cognovimus
nonnumquam propria negocia fuimus diligenter prosecuti. Audita itaque quidem componende
pacis et voto periculosi dissidii extinguendi pie et intrinseca prorsus removendi specialiter
nostra dirigebatur intencio et diligencia attentata recepti in negocio ad pacem
prosperato alias et propensiori consilio putavimus procedendum quod rei experiencia docuit
Vidimus enim fidedignorum assercione vestram Serenitatem et Illustrissimum principem
ludowicum Regem fratrem nostrum dilectissimum, Reverendissimum quoque dominum Cardinalem Barrensem et
ceteros de prosapia Regia nostris affectibus divine provisionis clemencia ut fieret ordine
prosperatis ad pacem concorditer convenisse, nimirum quia negocii qualitas ex dictamine
recte racionis ipsum expetebat et rei succedentes eventus maiora felicitatis auspicia
suadebat. Sed aliorum qui pacem detractant, ut pullulet dissidium et oriatur scan
dalum, quod valde fuit modernis temporibus nedum Regno ipsi francorum benedicto sed
et toti christianitati periculosum, perversis machinacionibus malignancium prevalentibus
negocium ipsum in quo nos sine laborum assiduis studiis fuerat tanto tempore per dei graciam
fructuose sudatum, extitit pene penitus immutatum et subito lapsum periculose.
Et certe malignantes ipsi iam a fructibus suis cogniti, ceteris dampnorum et sanguinis
humani copiosa effusione, occulto dei Iudicio qui novit in abscondito consilium ma
lignancium, quique superbis resistit manifeste ostendunt, quid perdit alteracio bonorum
pacis tanto labore partorum, de quo nimirum multa ducimur compassione. Clarum
potest excellencia vestra Soror percarissima habere recordium qualiter benivolencia vobis
apta alterum filium vestrum in Regno nostro hungarie si divino nutu heredum solacio
nos orbare contigisset, disponebamus instituere heredem et successorem.
Quanta profecto honorificencia quod late prout habunde prosperitati et firmamento
domus et Regni francie augmenta exinde successissent. Scimus etenim
et ab experto audita in rei veritate asserimus quod Carissimus frater noster Henricus Anglie etc.
Rex fuerat omnino dispositus ad pacem cum equanimitate tractandam, illamque
per convenienciam licita et honesta media precipue per parentelam acceptabat, qua
consecuta fortem se reddebat contra omnes invasiones et insultus Regie maiestatis

francorum nobis, pluribusque et domui ac Regno vestris Francie videantur adversari
et opponere, et cum omni sinceritate prout ac si de lumbis Regis Francorum, et vestro
vero fuisset legittime procreatus, eratque [illegible] cum omni promptitudine semper
ad hec aspirantibus paratus statim et honorem Regalis ac vestre Reginalis maiestatum
ac prosperitatem plurimum tocius domus et Regni vestrorum Francie, vestre fratrie, et sue
filialis potencie clipeo nos tamquam se, et ipse tamquam proprius filius veri virtute
unita assistere et ab omnibus impugnatoribus tam intrinsecis quam extrinsecis viriliter
relevare, protegere, et in omni felicitate Regnum ipsum iuxta duplicata Regie maiestatis
Francorum dirigendo fideliter et firmiter manutenere. Arceat igitur deus illis
si velit, qui tantorum bonorum calumpniosa interpretacione occasionem prestare presumpserunt
et impedimentum felicis consummacionis, quorum apud nos nemini infamandus
racionem. Ecce iam patet manifeste quod minima in talibus neglecta
principia in maxima vergunt, et dispendiose crescunt scandala, et per mala que
preveniunt indicantur mala deteriora que subsequuntur. Parvus enim error
in principio maximus erit in fine. Datum Calesii etc.

Sigismundus etc. Serenissimo principi Ludowico eadem gracia Jerusalem et Sicilie Regi etc. fratri
nostro carissimo salutem in salute auctoris et pacis amatoris. Serenissime princeps frater noster
carissime. Satis nos pungit interius Res nova quam scribimus, ymmo mea
medullitus interiora perterebat, dum ibi inquietudinis asperitatem experimur
ubi quietis dulcedinem studiosius preoptavimus, Inde crudelius ledimur et
non mediocriter impetimur, unde pacis debent habundanciam prodire caritatis
Religio et beatitudinis zelus a catholice fidei cultoribus ex prescriptis fiducie
argumentis indubie expectabatur. Nuper equidem per quendam [illegible]
allate fuerunt simul et presentate nobis litere Serenissimi principis Karoli Regis
Francorum fratris nostri carissimi talis continencie prout exprimit cedula presentibus
inclusa. Ad quarum contenta digesta deliberacione prescripta [illegible]
respondimus que ad noticiam vestram postquam cum in Francorum Regis magno
consilio proprium locum obtineatis pervenire haud ambigimus. Novit ille
qui nil ignorat, quod ex fervore intrinsece caritatis qua ad prefatum Regem
Francorum domumque et Regnum ipsius jugiter gessimus, more progenitorum nostrorum
fidei puritate sincera sicut ex gestorum sublimium memoria certitudinem obtinemus
ferventibus desideriis semper optavimus, ut Regie magnitudinis status, incliteque
domus predicte prosperitas felicius exaltetur, et Regnum Francie maneat
semper optata felicitate tranquillum. Et ideo sic efficaci nisu sollicitudinis
indefesse que sibi grata et utilia cognovimus novimus quod propria negocia
fuimus prosecuti aviditate componende pacis et voto periculosi dissidii causa
intrinseci removendi specialiter mea dirigebatur diligencia accurata. Recepimus